quidam miles dixit ad me: ecce, frater, manifeste deludimur a diabolo, mare effugere nos non posset, sed hoc, quod (b) videmus, fugit a nobis, ideo mare non est, sed diabolus transformatus in mare. Cum autem sol occidisset, appropinquavimus mari et dum de limbo descendere vellemus ad aquam, venimus in lutum, in quod asini usque ad ventres cadebant. Descendimus ergo cum maximo incommodo, quia etiam incidimus et eductis bestiis in aridam eas ad spineta colligavimus. Intravimus ergo lutum et cum labore usque in aquam devenimus, ubi parvum et triste solatium habuimus, nec vestes deposuimus, sed breviter manus lavimus et nobis ipsis indignati fuimus, quod tanto periculo sine utilitate nos exposuimus. Lotis ergo manibus quasdam monstruosas ostrearum testas accepimus de littore in testimonium, quod ad mare rubrum fuissemus, et per lutum ad asinos reascendimus, non loti, sed sordidi, non refrigerati, sed anxiati, non laeti, sed moesti, et ita a mari recessimus. Erat autem iam nox ita, ut nec vestigia asinorum quidem nostrorum videre quovis modo possemus, unde, cum omnes ignoraremus, per quam viam vel ad quam plagam tendere magis deberemus, et cum de hoc collitigatio fieret, aliqui de peregrinis descenderunt de asinis et vestigia asinorum manibus quaeritabant in solo, sed nihil certi propter tenebras invenire poterant et in omnimoda dubitatione stetimus ignorantes, ad quam partem facies nostras convertere deberemus. Stetimus ergo et nos ipsos mature consuluimus, quia multiplici modo mortem nobis imminere sensimus. Quidam consulebant, quod non amplius procederemus, sed ibi fixi usque ad diem maneremus, quia possemus sic in tenebris pericula nobis ignota incidere, nec esset possibile ad socios venire in tam confusa latitudine, in mane autem luce habita possemus eos sequi. E contrario alii dicebant, hoc consilium esse nobis mortiferum, quia certum nobis erat, quod transacta media nocte Calinus cum exercitu se de loco movere volebat et si nos usque ad lucem maneremus, illo toto die illos apprehendere non possemus, et ita necesse esset nos deficere et bestias, quia ad minus duobus diebus et noctibus non possemus habere alimenta, nihil enim nobiscum susceperamus de necessariis vitae, nec aquam nec panem, et cum hoc illa die praeterita paene nihil

0540
0538
0544
0534
0549
0529
0589
0489
0639
0439
1039
0039

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;